



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

III. De integritate Confessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

cui alioqui multa excident, si teneatur expectare finem confessionis. Porro debet esse prudens interrogando in materia castitatis, ne vel curiositate agi putetur, nimis ad particularia descendendo, vel etiam se in periculum aliquod conjiciat. Nota etiam *Mediam Cod. de Conf. tr. 2. q. 19.* dicere non teneri Cōfessarium rememorare peccata pœnitenti, nisi quando sunt in damnum proximi. Quam sententiam videtur *Vasquez* dicere probabilem, quia contrariam solum vocat probabiliorē. Hęc sententiā poterit uti anxius Cōfessarius, dum non sperat fructum interrogando: Sunt enim aliqui morosi pœnitentes, quibus valde displicent multæ interrogationes.

CAPUT III.

De integritate Confessionis.

QUAERO: *An pœnitens teneatur aperire circumstantias notabiliter aggravantes, sed peccati speciem non mutantēs?* Resp. duplicem hic esse opinionem, & utramque probabilem, illa quæ negat, fundatur in eo, quod
Concil.

Concil. Trident. solum significet tamquam necessariò confitendas eas quæ mutant speciem : & cum confessionis onus ex natura sua satis grave sit, pluribus dubiis res pateret, cum frequenter ambigi possit, quænam circumstantiæ notabiliter aggravent. Sunt tamen aliqui casus, in quibus consentiunt Theologi passim confitendam circumstantiam, licet solum aggravans dicatur, & speciem non mutant, quia ea de re in aliquibus potest esse dubium.

1. *Est*: Si quis furatus sit furtum magnæ quantitatis, puta centum aureos, non sufficit dicere, furatus sum quantitatem sufficientem ad peccatû mortale, sed exprimenda est quantitas.

2. Si comedit carnes die jejunii, non sufficit dicere fregi jejunium.

3. *Est* in incestu, licet gradus speciei non differant, putant tamen multi gradum confitendum præsertim si primus est, puta cum matre, aut sorore.

4. In detractione, ubi oportet dicere, an infamaverit, falsum dicendo

mentis

mentiendo, an occultum verum revelando.

5. Si percusserit personam aliquam, dicere debet, an consanguinitate foret proximè conjuncta, puta Pater, Frater, Consanguineus, Avunculus, &c. similiter dic de odio.

6. Si reservatio sit annexa ob enormitatem, aperienda est enormitas.

7. *Generalis est*, quando quis nimis excessit modum ordinarium peccandi. Nam interrogante Confessario, tenetur aperire veritatē, ergo etiam si nō interroget, tenetur: nam interrogatio non addit novam obligationem, sed supponit.

2. *QUAERO. An numerus debeat exprimi in Confessione?* Resp. affirmativè, Trident. dicente, oportere omnia singularia peccata confiteri. Si numerus peccatorum aperiri non potest, aperienda est consuetudo, quanta & quàm diuturna fuerit: ut quantum fieri potest, status pœnitentis intelligatur; dū tempus & frequentia aliquo modo indicatur, ut toties in hebdomada, vel mense,

mense, vel anno. Qui autem non potest hæc etiam specificare, dicat se valde sæpè hæc fecisse, aut quasi quotidie, aut frequenter in septimana: hoc etiam sufficiet ad aliquo modo statum aperiendum, prout potest. Nam velle rudes ad specialio rem numeri specificationem urgere, potius est velle eos divinare, quam verisimilia confiteri. Et experientiâ nobis constat, quod cum urgemus eos verisimilem numerum dicere in specie, si aliquem expriment numerum non nisi conjecturam parum verisimilem facere: tum quia in diversis peccatis ferè eundem numerum expriment, licet unum præ altero longè illis frequentius fuerit: tum quia postea specialius interrogati quoties in die, hebdomada, vel mense, invenitur ex ipsorummet declaratione, non fuisse prius vel tertiam partem numeri expressam. Videnturque solum importunitatem Confessionis urgentis voluisse fugere, conjecturalis alicujus numeri expressione. Unde aliquando dicunt se commississe peccata

centies & centies, id est sæpissimè. Ex
 his resolutio patet casuum sequen-
 tum.

Primus est: si azzedat concubinarius
 sufficienter statum suum declarat &
 numerum, dicendo se uno vel duobus
 concubinâ tamquam uxore u-
 tam fuisse, continuâ cum ea cohabita-
 one, & carnali consuetudine.

2. Similiter, si meretrix dicat se tot
 annis expositam fuisse, & omni occa-
 sione oblatâ peccasse fornicando, &
 adducendo. Si tamen specialiter expri-
 mere possit actus specie differentes à
 simplici fornicatione, ut puta quia
 cum conjugatis, aut consanguineis, aut
 sacerdotibus, aut Religiosis carnale
 commercium habuerit, tenetur id ex-
 primere. Alioqui si non possit, dicat se
 cujuslibet qualitatis viris expositam
 fuisse.

3. Qui in odio proximi hæsit per
 annum, sufficit id exprimere: quia in
 tali mora temporis, status declaratur,
 & confuse in ea explicatur numerus
 humano modo possibili, dicendo se

Hh

quasi

quasi continuò. aut toties quoties persona illa menti occurrebat, quod frequentissimè factum fuisse agnoscit, odium renovasse, vel malum voluisse, illique malè dixisse, aut mortem optasse.

4. Si miles accesserit dicat se per sex, aut septem annos, juramentis, blasphemis, concussionibus deditum fuisse, sic & alia vitia militiæ ordinariè exprimere poterit. Putantque aliqui sufficienter exprimi statum, tali modo. Si tamen concussiones & violentiæ sunt quandoque enormes, vellem specificari. Quicquid sit rectè norant aliqui, Confessariis majorem debere esse curam de excitanda contritione, & firmo proposito non peccandi amplius; quàm de numero peccatorum nimis anxie inquirendo, dum aliquo modo status pœnitentis agnoscere potest.

5. Si usurarius accedat, & dicat se decem annis usuras cum omnibus accedentibus exercuisse, satis aperit statum.

6. Nummularius qui multis annis
 tacavit eudendis quibuscumq; adul-
 terinis monetis, aureis, argenteis, &
 circumcidendis monetis probis, satis-
 fecit dicendo se talem statum tot annis
 percuisse. Confessarius tamen adver-
 tit quæ restitutio sit facienda, vel Prin-
 cipi, vel Principis Nummulario, vel a-
 lii cuiusdam damnum passis, vel piis causis. Id
 etiam notet in prioribus casibus.

3. *QUAERO. Quid agendum sit Cōfes-
 sario, cum pœnitente, qui interrogatus de
 numero, dicit se non esse solitum in praece-
 dentibus confessionibus illum exprimere,
 nec de hoc interrogari? An talis debeat
 repetere Confessiones praecedentes? Resp.
 Ignoraverit hoc esse necessarium ex-
 primere ad integritatem & validita-
 tem confessionis, non esse compellen-
 dum ad repetitionem: sicut nec quan-
 do omisit aliquod peccatum mortale,
 quod nō putabat nisi veniale. Tenetur
 tamen tunc quantum potest, supplere
 defectum, verisimilem numerum ex-
 plicando. Adverte verò quando pœ-
 nitens de numero omisso in prioribus*

confessionibus tacet, ignorans obligationem illum exprimendi, Confessarium non teneri eundem hac de re interrogare, sed posse in bona fide eum relinquere, maxime si potius perturbationem timet, quàm fructum speret. Imò rustici qui bonâ fide putant se benè confessos, non sunt multum inquietandi, interrogando de aliquo præteritæ confessionis, nisi aliquid essentialiale defuisse, manifestum sit. Nam etiam si quandoque confessiones fecerint materialiter non integras, propter bonam tamen fidem censentur formaliter integræ, & sic sufficientes.

4. *QUAERO. An qui ex oblivione, ignorantia, impræparatione culpabili, commisit aliquod peccatum, teneatur repetere confessionem tamquam invalidâ; Resp.* quosdam Theologos distinguere ignorantiam sive negligentiam culpabilem, ut una sit exigua sive venialissimum, certum est illam non irritare confessionem. *Altera est adeò gravis, ut vel homo directè eam velit, vel moraliter*

repu-

reputetur nullam voluisse diligentiam
 adhibere, & hæc dicitur affectata vel
 supina, redditque confessionem nul-
 lam; quia æquiparatur voluntariæ sci-
 entia aliquid omittendi. 3. est quæ-
 rita ignorantia media, quæ quidem
 est culpabilis graviter & mortaliter,
 sed tamen non est per se intenta: Atq;
 de hac est quorundam sententia non
 improbabilis, quod illa confessionem
 informem quidem faciat, sed non in-
 validam aut repetendam. Pro qua ci-
 tatur apud *Filliuc. Sot. Canus Victoria,*
Garson. Adrian. Henriq. Et probari po-
 test ratione: tum quia talis confessio
 est ex intentione dicentis integra, ni-
 hil enim omisit scienter, & habet vo-
 luntatem dicendi omnia; quæ commi-
 sisset adhibet etiam aliquam diligentiam,
 sed non omnem quam deberet, er-
 go est formaliter integra: quia tamen
 est culpabilis mortaliter, ut supponi-
 mus, non erit sufficiens ad gratiam, &
 ideo informis; tum quia alioqui innu-
 meræ confessiones repetendæ esset.
 Constat enim experientiâ, apud eos

qui annuas sæcularium confessiones excipiunt non rarò omitti multa peccata, & non adhiberi omnem eam diligentiam, quæ opus esset, & sæpè esse negligentiam culpabilem mortaliter: sed quia non agnoscitur eiusmodi negligentia, tales confessiones reputantur validæ, & satis est se accusare de negligentia. Quare si contraria sententia practicanda esset, redderetur omnis Confessionis valde grave. Ita *Filiucius* asserens hanc sententiam esse probabilem, quamvis altera securior sit. Quod notatum voluit propter anxietates, quæ quandoque ob similia contingunt Confessariis, circa pœnitentes rudes & negligentes, quos difficile foret ad repetendas confessiones inducere, quia genii durioris. Circa quos potest uti Confessarius sententia favorabili Doctorum, quæ probabilis habetur.

5. *QUAERO. An qui præ verecundia aliquid omittit, sciens quidem se male agere, sed nesciens confessionem non valere, teneatur omnia repetere, vel sola re-*

lita

fessiones
 lta pec-
 eam di-
 xepè esse
 ortaliter:
 odi ne-
 reputan-
 culare de
 ari sen-
 eretur-
 Ita Fri-
 am esse
 securior
 pter an-
 o familia
 a pœni-
 uos dif-
 fessiones
 . Circa
 ententia
 obabilis
 econdia
 se male
 n vale-
 sola re-
 licta)

Et, si talis ignorantia sit inculpabi-
 lis (qualis fortè potest esse in aliquibus
 rusticis) probabiliter dici posse cum a-
 liquibus, talem non teneri ad repeti-
 tionem confessionum; sed solum ad
 supplementationem omissorum, supposito
 quod talis si vere scivisset invalidam
 reddi confessionem suam, voluisset in-
 tegram facere. Vide *Præf. de pœnit. c. 7.*
c. 8. Ordinariè autem cum talis igno-
 rantia non videatur inculpabilis, repe-
 teri debet confessio.

Hoc saltem hic notari debet, quod
 qui violenter reliquit peccatum mor-
 tale, & ideo tenetur confessionem re-
 peteri; si postea hujus rei oblitus, con-
 fiteatur bona fide peccata, quæ fecit,
 validas esse illas confessiones, nec ad
 earum repetitionem teneri; sed suffi-
 cere illam priorem repetere & sup-
 plere. Ita *Em. Sà.* cum multis aliis.
 Adde, cum confessio apud eundem
 Confessarium iteratur, non esse opus
 repetere peccata specialiter jam ei di-
 cta, sed id solum quod confessioni de-
 fuit, si modò Confessarius notitiam

aliquam adhuc habeat status ex precedente confessione, etiam in confuso, Sic communiter tradunt Theologi.

6. **QUAERO.** *An quandoque voluntariè possit aliquod peccatum omitti in confessiones?* Resp. posse, si justè & probabiliter metuatur, ob alicujus peccati confessionem, revelatio illius, velodium & inimicitia, vel pudicitiae sollicitatio, vel aliud temporale damnum. Confessio enim tunc censetur formaliter integra, quamvis materialiter aliquid ei desit, ob justam causam tacitum, in oportunitate alterius Confessarii supplendum.

7. **QUAERO.** *An possit dimidiari confessio ob magnum concursum prementium se pro confessione?* Resp. non posse: nec Confessario est liberum confitentes ita urgere ad expediendum, ut non sinat eos detegere integrè suam conscientiam, vel ut omittat juvare interrogationibus necessariis. Ratio est, quia integritas confessionis est de præcepto Christi, ut exprimit *Trident.* à quo præcepto concursus pœnitentium non

excus

excusat, nisi sit conjunctus eum gravi necessitate; qualis contingit in conflictu belli, aut in naufragio, aut in simili periculo. In concursu tamen multorum, sit Confessarius solum sollicitus de mortalibus, aut gravioribus venialibus, reliqua curet dici verbo generali.

8. *QUAERO. An ager debeat absolvi, qui unum tantum peccatum exprimit, vel tantum signa dat attritionis, vel vocavit Sacerdotem pro confessione, postea nequit vel signo confiteri? Resp. debere absolvi, ita enim habet Rit. Rom. jussu Pauli V. editum in Tit. De ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentia. Verba sunt ista: Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela agrum deficiat, nubibus & signis, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis consentur cognoscere. Quibus utcumque vel in genere, vel in specie cogitis, vel etiam sine confitendi desiderium. sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. Hæc ibi.*

Ex quibus patet resolutio ad quaestionem propositam; quod si adhuc ali-

Hh 5

cui

cui dubio locus sit apud Confessarium non obstantibus his satis claris verbis Ritualis Romani, saltem absolvat sub conditione. *Si tu es capax, Ego te absolvo, &c.*

9. *QUAERO. Quomodo debet intelligi, quod dicitur ad integritatem confessionis requiri, ut dubia tamquam dubia confiteamur, hoc enim scrupulos multos nonnullis anxius ingenerat? R.* Hoc debere intelligi, quando verè dubius & suspensus quis manet, omnibus prudenter consideratis, ita ut in neutram partem probabile iudicium determinatè ferre nequeat; quod scilicet commiserit, vel non commiserit; quod sit, vel non sit mortale; quod confessus ante fuerit, vel non. Quare si probabiliter iudicat se non commisisse, vel non esse mortale, vel se confessum fuisse, non tenetur confiteri, etiamsi formando de opposito remaneat. *V. Dianam, p. 5. tract. 14. resol. 113.* Hoc sufficere debet ad pacificandos scrupulosos.

Adde, quod is qui probabiliter ratione deponit dubium quod habebat, an
esset

esset lethale quod commisit, possit accedere ad Eucharistiam sine confessione, quia Tridentinum dicit præmittendam, quando quis est sibi conscius peccati mortalis. Talis autem non est conscius.

CAPUT IV.

De complici & Sigillo confessionis.

QUAERO. *An liceat in confessione detegere complicem, sive socium criminis?* Resp. ordinariè non licere, & id facere sine justa causa, ex suo genere esse peccatum mortale, ut communiter censent Theologi. Ratio est, quia licet maneat hoc sub sigillo, tamen potest generare opinionem sinistram in sacerdote; unde se detegi etiam coram discreto Sacerdote, grave sibi existimat peccati socius, & est rationabiliter invitus, cum id nullâ urgente causa fit, aliterque confessio facilè fieri potest. Dixi, *ex genere suo esse mortale*, nam ob levitatem materiæ, vel ob inadvertentiam, vel ob confitentis simplicitatem, exigua sæpe est culpa. Sic in

H h 6 muli.